

Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura.

— — Labor omnia vincit

• Improbus. — — —

2. Erat Cleanthi tardum obtusumque ingenium; erat et summa rerum omnium inopia. At ubi ejus animum sapientiae amor occupavit, tarditatem ingenii acri studio ac diligentia vicit, Zenoni interdiu adsistens auditor: inopiam vero, aquam e puteo noctu hauriens, accepta ab hortulano mercede. Ajunt, eum aliquando in judicium vocatum fuisse, quod robusto admodum ac pingui corpore esset, quum nullam artem, unde viveret, videretur profiteri. At ubi quaestus sui ac victus testes adhibuit, hortulanum, cui aquam hauriebat, et mulierem, apud quam pinsebat; non solum est dimissus, sed etiam ab Areopagitis judicibus donatus decem minis, quas Zeno accipere illum vetuit.

3. Stilponem, Megareum philosophum, acutum sane hominem et probatum, temporibus illis accepimus. Hunc, scribunt ipsius familiares, et ebriosum, et mulierosum fuisse: neque haec scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compres-
sam esse doctrina, ut nemo unquam violentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit.

Zopyrus, physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque, ex corpore, oculis, vultu, fronte per-noscere, stupidum esse Socratem dixit et bardum; addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. — Ipse vero Socrates, *haec vitia sibi ingenita fuisse natura*, non dissimulavit; *sed ratione a se dejecta*. — Sed haec ex naturalibus caussis vitia nasci possunt: extirpari autem, et funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id